





GALLIE PAR.



CANTABRICVS OCEANVS  
SEPTENTRIO  
OCCIDENTALIS  
OCEANVS WEST.  
OCCIDENTALIS  
OCEANVS ATLANTICVS  
MEDITERRANEA  
AFRICA  
PARS.  
CUM PRIVILEGIO.



Ortelius

21  
2100n



1112818

Mp. VI/28

# HISPANIA.



**H**ISPANIA Straboni corio bubulo humi protenso comparatur. Ea pelago vndique cingitur, nisi qua parte Pyrenæi montis obiectu à Gallijs diuiditur. Habet Hispania ab Ortu montem Pyrenæum, qui à Veneris Templo siue Promontorio exortus, prope Illiberos (Colibre hodie) in Oceanum procurrit Britannicum, atq. hac parte maxime augusta est; adeò vt ego, dum per Cantabriam iter facerem, inquit Vaseus, in monte Diui Adriani, nisi fefellit aspectus, vtrumq. mare me vidisse meminerim, Oceanum videlicet, cui eramus proximi; atq. eminus, quatum oculorum prospectus ferre poterat, Mediterranei maris albicantes fluctus. A Septemtrione autem clauditur Oceano Cantabrico; ab Occasu mari Occiduo; à Meridie Freto Herculeo, & mari Belearico.

Diuiditur verò Hispania in tres Prouincias; Bætiam, Lusitaniam, & Tarraconensem. Bætica à Septemtrione clauditur Ana fluuiio; ab Occasu habet eam Atlantici Oceani partem, quæ est inter ostium Anæ & Fretum Herculeum; à Meridie mare Balearicum, quod est inter Fretum Herculeum, & Charidami promontorium, quod vulgò appellari dicunt Cabo de Gata. Ab Oriente terminatur linea ducta ab hoc Promontorio per Castulonem ad Anam fluuium. Dicta est Bætica à Bæti fluuiio memorabili, qui prouinciam totam intersecat: qui ortus in saltu Tygenfi, decurrit in Oceanum Atlanticum: atque hodie vocatur vocabulo Arabico *Quadalquibir*, quod sonat Fluuium magnum. Hæc Prouincia posteriùs à Vandalis habitatoribus *Vandalicia* dicta, hodie quoque corrupto vocabulo *Andalusia* dicitur. Lusitania habet à Septemtrione Durium fluuium, ab ostio ipsius, vsque ad pontem, qui est contra Septimaneas: ab Occasu eam Atlantici Oceani partem, quæ est inter ostia Anæ & Durij fluuij; à Meridie Bætiam: ab Oriente terminatur à Tarraconensi, linea ducta ab Oretania veteri, vsque ad pontem, qui habet è regione *Septimatias*. Lusitania habet à Luso Liberi Patris filio, & Lysa eiusdem Liberi socio, cum Luso Bacchante: vnde nunc à Luso, Lusitania; nunc à Lysa, Lysitannia dicitur. Reliqua Hispaniæ pars pertinet ad Tarraconensem prouinciam, quæ à Tarracone ciuitate nomen accepit, eius prouinciæ Metropoli; ciuitate ad excipiendas Principum peregrinationes, vt inquit Strabo, egregie nata, & in qua Imperatores iurisdictionem agitant. Complectitur hæc Regio Murcia regnum, & Valentia, & Arragonum cum Cathalonia, Castellam veterem, Nauarra regnum, Portugalliam Interamnem, Galletia regnum, Asturias, totam Cantabriam. Hæc Vaseus in suo Chronico Hispaniæ, apud quem plura. Vide & Marineum Siculum, Marium Aretium, Damianum à Goes, Franciscum Tarassam, Episcopum Gerundensem, Annum Viterbensem: & Hispanica lingua Florianum del Campo, & qui eum sequitur, Ambrosium Moralem: item quos dictus Vaseus in eodem Chronico cap. 4. Hispaniæ scriptores recitat. Stephanus Garibayus Nauarra regnum descripsit Hispaniæ Chronico lib. 20. Latine quoque edidit nuper de Rebus Hispanicis volumen Io. Mariana. Ex veteribus quoque consulendi sunt Cæsar, Strabo, & ceteri, quos Damianus à Goes in libello, Hispania inscripto, indicat: item Panegyricus Latini Pacati, & Claudianus de Laude Serenæ. Hic Laonici librum 5. qui velit adiungere poterit. Exstat & libellus Viatorius Alonsi de Meneses Hispaniæ scriptus, continens totius ferè Hispaniæ itineraria, in quibus etiam distantias locorum annotauit.

Tria memoranda vulgari nobilitantur prouerbio apud Hispanos, vt Nauagierus scribit: Pons cui aqua superfluit, cum sub pontibus ceteris soleat manare, aquæ ductum Segouia innuentes. Ciuitas igne circumdata, Madritum significantes, cuius muri ex silicibus constant. Pons in quo continet decem millia pecorum pascuntur, quo Guadiana fluuius denotatur, qui se ad septem milliaria subter terram immergens, denuo erumpit. Et si hoc postremum ex vulgi opinione magis, quam ex rei veritate constare, mihi fide dignus & oculatus testis est Dominus Georgius ab Austria, præpositus Harlebecensis; vir in omni historia versatissimus, rerumque naturalium obseruator admiratorque singularis.

Insulæ quæ ad Hispaniam pertinent, & quorum apud veteres scriptores memoria extat, sunt ad Celticum promontorium Cæsiterides, quæ hodie nusquam in Oceano apparere videntur: insulæ Deorum, quæ & Cicæ dicuntur, hodie Yllas de Bayona. Londobris, quæ Erythia ab alijs, nunc Barlinguas. Gades, Herculi olim sacra, vulgò nunc Calez dicunt. Et hæ in Oceano omnes. In Mediterraneo mari verò sunt Ophiusa, nunc Formentera. Sunt & Gymnesia duæ, quæ & Baleares. hodie distincto nomine alteram Maioricam, alteram Minoricam appellant. Huius Minoricæ ora maritima vbique montibus ingentibus sepra est; sed quæ est ad portum aditus, radices montium in planiciem extrahuntur, donec tam angusto interuallo ad alteram littoris partem accesserint, vt non nisi leni vento introrittantur naues. Portus Mahon appellatur, pulcherrimus & opportunus; excurrit enim in quatuor ferè milliaria longitudinem, varijs & frequentibus insinuationibus; quæ facile naues à maris læuitia protegunt. Hinc perpetui montes prominent, è quibus immensa ligni copia peti potest. Ad extremam eius partem in montium altitudine vrbs est exstructa. Maior insula contra Minoris insulæ naturam habet oram maritimam planam, montes verò in Mediterraneis regionibus altissimos, & magna parte steriles. Vrbs in ea eiusdem cum insula nominis, ampla & pulchris ædificijs ornata. Tarraconensium vtuntur legibus; & lingua ac moribus valde cum eis conueniunt. Hanc Balearum descriptionem ex N. Villagagnoni libello de Argieræ expeditione mutuauimus. Qui plura de ijs incolarumque moribus scire desiderat, Bernardum Gomæsum de vita Iacobi T. Arragonum regis librum 6. & 7. adeat. Philippum Hispaniæ Regem, maximum totius Orbis & omnium ætatum imperium possidere, docuimus in nostro Theatro Germanica lingua excuso.